

**Decanus Facultatis Medicae D. Johannes Assuerus Ampsingius Ad funeris  
Deductionem Viri ... D. Joannis Backmeisteri Philosoph. & Medic. Doctoris ...  
Omnes omnium ordinum cives Academicos humaniter invitat**

Rostochi[i]: Pedanus, 1631

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746583400>


Druck Freier  Zugang





Assuerus, J.,  
<sup>oh.</sup>  
in **J. Backmeister.** I

R. 1631.

57.







74.  
DECANUS  
Facultatis Medicæ  
D. JOHANNES ASSUERUS  
Amplingius

*Ad*  
funeris Deductionem,  
*Viri olim Clarissimi Doctissimi*

D. JOANNIS  
BACKMEISTERI

Philosoph. & Medic. Docto-  
ris & Professoris publici,

*Omnes omnium ordinum cives Academi-  
cos humaniter invitat.*



ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.  
ANNO M, DC. XXXI

DECANUS  
Facultatis Medicæ  
D. JOHANNES ASSUERUS  
Ampfingius.



Mnibus hominibus mori-  
endum esse monemur ho-  
dierna funeris deductione  
quâ Medicum clarissimum  
doctissimum experientissi-  
mum Dn. D. Joannem Back-  
meisterum hac vitâ functum  
ad sepulturam efferimus matriq; terræ reddi-  
mus. Si n. tanto Medico non peperit : quan-  
to minus alijs parceret, pallida mors, quæ æquo  
pulsat pede pauperū tabernas regumq; turres

*Heu mortem invisam ! quæ sola ultricibus armis  
Elatos frenas animos , communia toti  
Genti sceptrâ tenens , aternaq; sædera servans,  
Quæ magnos parvosq; teris , quæ fortibus æquas  
Imbelles , populisq; Duces , seniumq; juventa.*

Clamat scriptura statutum esse hominibus se-  
mel mori, post hoc autem iudicium Heb. 9.  
Mors est certa, dies incerta, incertior hora ;  
Vigilate igitur, inquit Servator Math. 24. quia  
nescitis diem neq; horam. Et iterum, Estote pa-  
rati,

rati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis  
veniet. Veniet enim sicut fur in nocte 1. Thes.  
5. Amen dico vobis, si paterfamilias sciret quâ  
horâ fur venturus esset; vigilaret utiq; & non  
fineret perfodi domum suam. Platonis senten-  
tia fuit, dicente Hieronymo, omnem sapien-  
tiam vitam, meditationem esse mortis. Debe-  
mus, inquit & nos igitur præmeditari quod ali-  
quando futuri sumus, & quod velimus, nolimus  
abesse longius non potest. Et *D. Bernhardus*  
Quid in rebus humanis certius est morte? quid  
incertius horâ mortis invenitur? Non misere-  
tur inopiæ, non reveretur divitias, non sapien-  
tiæ, non moribus, non ætati deniq; parcit: nisi  
quod senibus mors est in janua, juvenibus ve-  
rò in insidijs. Et Chrysostronus: Latet ultimus  
dies, ut observentur omnes dies. Serò parantur  
remedia, cum mortis imminent pericula.

Ut autem de more consueto secundum lo-  
cos de Defuncto nostro dicamus. Natus est Ro-  
stochij Anno 1563. 14. decemb. postridie Lucie,  
Patre viro reverendo clarissimo Dn. *Luca Back-  
meistero* S. S. Theologiæ Doctore eximio, pri-  
mum sereniss. regis Daniæ Christiani III vi-  
duæ reginæ per triennium concionatore auli-  
co, postmodum ab amplissimo hujus urbis Se-

A 2

natu



natu ad professionem Theologicam in Academia, simulq; ad munus pastorale ad D. virginem vocato, post obitum D. *Simonis Pauli* Superintendentis munere annos 46. fideliter functo. Matre *Johann Bordinga*, Dn. D. *Jacobi Bordingi*, quondam academiae hujus professoris & deinde Regum *Daniae Christiani III & Friderici II.* achiatri filia primogenita, Dn. *Jacobi Bordingi* J. U. Doctoris, olim itidem hujus Academiae professoris & per annos 23. Cancellarij Megapolitani, postea reipub. Lubecensis Cösulis sorore. Avum Paternum habuit *Ioannem Backmeisterum*, quondam reipub. Luneburg. civem. non indoctum. Aviam vero *Annam Lubbingiam*. Tali patre satus, tantis Majoribus ortus, simulq; Ecclesiae & Academiae gremio exceptus, non potuit non patrissare,

*Fortes creantur fortibus & bonis*

*Est in juvenis est in equis patrum*

*Virtus, nec imbecillum feroces*

*Progenerant aquila columbam.*

Hausit itaq; una cum lacte materno indolem medicam *Backmeisterus* noster, viam insistens: avi materni, cujus dum vestigia acriter pressit, ad summum pervenit *Artis Medicæ* culmen, factus enim est famigeratus *Phil. & Med. Doct.*

non

non Sectæ Methodicorum, non Empiricorum,  
non deniq; ciniffionum Paracelfistarum, sed o-  
primæ sectæ Rationalium seu Dogmaticorum,  
sectator magni Hippocratis ejusq; interpretis  
Galenī. O quàm latus hīc se pandit dicendi cā-  
pus! ô materiam non unius programmatis, sed  
integri voluminis!

Fuerunt enim olim tres Medicorum Sectæ  
nimirum Methodicorum, Empiricorum &  
Rationalium seu Dogmaticorū. Et quidem Me-  
thodicorum Secta admodum fuit insulsa qui  
affirmarunt Artem Medicam nec longam esse  
nec difficilem, quippe quæ sex mensibus omnis  
celerrimè disci possit, posueruntq; omnem me-  
dendi rationem in observatione stricti & laxi.  
Non minus inepta fuit Secta Empiricorum,  
qui posthabita omni indicatione, & tejecta cor-  
poris humani, causarum internarum & facul-  
tatum cognitione, solam observationem & no-  
titiam experimentorum ad salubria eligenda  
& insalubria vitanda sufficere arbitrati sunt.

Tertia fuit optima Secta nimirum Ratio-  
nalianum seu Dogmaticorum, quam ipse Hippo-  
crates & Galen9 ptofessi sunt. Hujus Medicinæ  
Dogmaticæ præstantiam, pro modulo quidem  
meo, ob oculos posui in mea Iatromathemati-

ca Propositione I. quo Lectorem remitto, neq;  
hic eam repeto, quippe quæ Intimationis li-  
mites excedat. Superioribus Medicorum Se-  
ctis, tandem nostro seculo accessit nova Secta  
non Spagyrica quidem illa, sed Paracelsistica à  
Philippo Theophrasto Paracelso, qui relictis  
veterum rationibus principijs & causis evi-  
dentissimis, nova p̄incipia novasq; causas &  
qualitates excogitavit, novamq; Sectam consti-  
tuit, diversam à veterum Spagyricorum, Avi-  
cennæ. Gebri, Rhasis, Villanovani & aliorum  
qui omnes Dogmatici fuerunt Hippocratis &  
Galeni Sectatores. Hi antimonio, Sulphure,  
Mercurio sublimato, arsenico alijsq; id genus  
falso nominatis medicamentis intra corpus  
exhibitis ægros non curant sed jugulant.


Jam ut ad Defunctum nostrum redeat ora-  
tio: non ille Methodicus fuit, non Empiricus,  
non Paracelsista, sed purus Dogmaticus Secta-  
tor Hippocratis & Galeni. Statueram hoc lo-  
co Medicinam Dogmaticam definire, & defini-  
tam in partes dividere, sed quia hoc nimis lon-  
gum foret: sisto gradum. Moribus fuit hone-  
stis, comis & affabilis erga quoslibet, nedum  
erga ægros, fuit in curando dexter & felix, e-  
ventu ut plurimum consilijs respondente.

Tres


Tres ordine Uxores habuit Anno Christi  
1594. nono Januarij cum virgine lectissima  
*Christina Sassen* Civis & negotiatoris quondam  
hujus urbis primarij filia, viri clarissimi Doctis-  
simi Dn. *M. Petri Sassi* Logices Professoris  
Publici s̄ore matrimonium contraxit, illudq̄  
amabile & fœcundum expertus, Illa n. ipsum  
novem liberorum lætum fecit Parentem, in-  
ter quos primogenitus fuit *Lucas* deinde *Anna*,  
*Lucas Secundus*, *Elisabetta*, *Christina prima*, *Ja-  
cobus*, *Johannes*, *Christina Secunda*, *Johanna*, ex  
quibus plurimi nempe *Lucas primus*, *Anna*, *Lu-  
cas Secundus* Juris Candidatus & Judicij pro-  
vincialis Megapolitani Secretarij solertissim9,  
*Elisabetta Theodori Varmejeri* J. U. Doctoris o-  
lim conjunx dilectissima, *Christina prima*, *Ja-  
cobus* & *Johannes* præmaturâ morte abrepti,  
*Christina Secunda* verò non ita pridem Dn. *M.  
Laurentio Langelaus* parochialis templi Gustro-  
vientis pastori elocata, cum *Johanna* adhuc  
virgine per Dei gratiam superstes. Anno verò  
1614 29. Maij hac conjuge Charissimâ defunctâ  
*Mariae* noster anno insequenti 1615. 19. Julij cū  
matrona *Anna Pavvels*, *Papendici Cossen*, olim  
Civis hujus urbis primarij non indocti relicta  
vidua rursus ad secunda vota transit, qua cum  
ad An-

ad Annum 1623, 18. Martij in pacato quidem  
sed sterili conjugio vixit. Hac iterū orbatu ter-  
tiam sibi conjugem matronam laudatissimam  
*Magdalenam Laurentzen, Martini Wrosten*  
quondam Reipub. hujus Civis haur postremū  
relictam viduam Anno 1625 sibi elegit, & 11.  
Maij sibi adsociavit, & cum ea conjugium con-  
cors pariter & facundum habuit; suscepit n. ex  
illa in decrepita sua senecta filiolum Matthæ-  
um, filiolamq; unā *Magdalenā* liberos modō in  
tenella sua ætate patre suo charissimo orbatos.  
Denatus noster s. hujus post primam promeri-  
dianam in morbum ipsi antea sæpius familiarē,  
quem medici cardialgiā vocant, rursus inci-  
dit, quo vires ipsius prostratæ adeo ut morbus  
ille, cui Catarrhus suffocativus accessit finem  
vitæ circa septimam ejus diei vespertinā ipsi be-  
atum & placidum absq; ullo dolorum mortis  
sensu præter omnem conjugis, liberorum aliorumq;  
adstantium spem & opinionem attulerit, qui omnes  
ipsius obitum inopinatum seriō lugent. Funus curabi-  
tur, hodie horā mediā primā in templo Mariano quo  
ut frequentes conveniant, cives Academicos qua pos-  
sum humanitate invito. P. P. Sub sigillo *Academiæ*  
9. Novemb. Anno M DC XXXI.













non Sectæ Methodicorum, non Empiricorum  
non deniq; cinifionum Paracelfistarum  
primæ sectæ Rationalium seu Dogmaticorum  
sectator magni Hippocratis ejusq; Galeni.  
O quàm latus hic se pandit  
pus! ô materiam non unius program  
integri voluminis!

Fuerunt enim olim tres Medicorum  
nimirum Methodicorum, Empiricorum  
Rationalium seu Dogmaticorum. Et qui  
Methodicorum Secta admodum fuit  
affirmarunt Artem Medicam nec le  
nec difficilem, quippe quæ sex mensi  
celerrimè disci possit, posueruntq; o  
dendi rationem in observatione str  
Non minus inepta fuit Secta Empiricorum  
qui posthabita omni indicatione, & t  
poris humani, causarum internarum  
tatum cognitione, solam observatio  
titiam experimentorum ad salubri  
& insalubria vitanda sufficere arbit

Tertia fuit optima Secta nimirum  
Rationalium seu Dogmaticorum, quam ip  
ocrates & Galenus professi sunt. Hujus  
Dogmaticæ præstantiam, pro modum  
meo, ob oculos posui in mea Iatrom

A 3

